



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Symbolum VI. Prometheus ἀνδρωποπλάσης, seu formator hominis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

O Corydon, Corydon secretum divitis ullum
 Esse putas? servi ut taceant, jumenta loquentur,
 Et canes, & postes, & marmora claude fenestras,
 Vela tegant rimas, junge ostia tollito lumen
 E medio; clament omnes.

SYMBOLUM VI.

Prometheus ἀνδρῶν πεπλάσθης, seu formator
 hominis.

Ovid Metamorph. 1. Horat. lib. 1. Od. 3. Hesiodus, alij.

Ethica.

1. Hominis indoles. 2. Quinam meliore de luto ficti. 3. Pe-
 ctus hominis vivarium ferarum. 4. Hominis nobilitas. 5.
 Sciendi curiositas.

I Apetus procerissimæ staturæ gigas, natione Thessalus, Atlantesq, E-
 pimeum, & Prometheum suscepit; hic Deucalionem genuit, de
 quo infra Primus hominem è luto finxisse fingitur Prometheus, felici
 adeo successu, ut ipsius solertiam admirata Minerva, obtulerit ultrò, si-
 quid ad sui absolutionem operis desideraret eorum, quæ in cælo sunt.
 Cui Prometheus, negat se posse dicere, quid sibi ex ijs foret utile, quæ
 nunquam usurpasset oculis. Itaque Minerva auxilio in cælum evehi-
 tur: omnia ibi curiosè circumlustrat; ad solem ipsum defertur; adver-
 tit ignem in illo purissimum splendescere. & quoniam homo ab ipso ef-
 fictus, adhuc insensibilis erat statua, & nullo motu prædita, existimavit
 simulacro suo animando convenientissimum esse vigorem illum igneum,
 quem in sole contemplatur. Ferulam igitur corripit, solari rotæ admo-
 vet, flammam rapit, eamque in terras delatam, ubi luteæ imagini inse-
 ruit, cœpit illa protinus se movere, & ipsum artificem stupore defigere.
 Gravissimè tulit id furtum Jupiter, ideoque generis omnis pestes in or-
 bem immisit, uti testatur Venusinus l. c.

Audax Japeti genus

Ignem fraude mala gentibus intulit.

Post ignem aethera domo

Sub-

Subductum, macies & nova februm
 Terris incubuit cohors.
 Semotique prius tarda necessitas
 Lethi, corripuit gradum.

Idem canit lib. 1. Od. 16. corpus humanum à Prometheo conflatum fuisse è decerptis ac defectis variorum animalium particulis, præfertim leonis iram, stomacho inditum ab eo.

Fertur Prometheus addere principi
 Limo coactus particulam undique
 Defectam, & insani leonis
 Vim stomacho apposuisse nostro.

Neque contentus eâ poenâ Jupiter, quòd ob audaciam furti mille calamitatibus mortale genus afflixerit (id mox in Pandora pyxide narrabitur) sed ipsum etiam Prometheum, per Mercurium, in Caucasò monte religandum curat, aquilamque adhibet, jecur ejus assidue depascens; quibus vinculis & tormentis, eum denique Hercules liberavit, volucre interfecta.

Ethica.

I. (a.) Ovidius 1. Metam. vocat hominem *sanctius animal*, mentis præstantissimæ compotem, cæterorum animantium principem ac dominum, divino semine oriundum (quod per ignem cœlestem indicatur) deorum similem, solum erecto vultu, & contemplatorem siderum.

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri
 Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Homo ab *humo* dicitur, & juxta SS. literas Gen. 1. è luto seu pulvere formatus est, ut memor originis suæ, ne se immoderatiùs efferat. Pavò gemmatam caudam demittit, cum atros pedes aspicit; homo arrogantiam ponit, cum oculos in ortum suum reflectit. Benè S. Greg. Nazian. orat. *περί φιλοπρωχίας*. Homines, inquit, sumus amplissimi & contemptissimi: terrestres & cælestes, mortales & immortales, hæredes lucis, & ignis seu tenebrarum, prout in hanc, vel in illam partem inclinaverimus. Talis est nostra mixtio, & ob hanc causam, quantum ego dispicere possum, conflata, ut si quando extollamur propter *imaginem*, contrahamur ob *pulverem*. Nyssenus verò Gregorius expendens illas voces Genes: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, unum*

(a) *Hominis indoles.*

num in *creatione*, alterum in *electione* positum docet. Nam ut fieremus ad *imaginem* Dei, dum principio procrearemur, obtinuimus: ut autem efficiamur ad ejus *similitudinem*, proposito, voluntatēque consequimur. Hanc hominis dignitatem etiam seneca perspexit, qui epist. 77. Omnia, ait, suo fine constant; vitem fertilitas commendat, vapor vinum, velocitas cervum. Quam fortia dorso jumenta sint quæris, quorum unus hic est usus, sarcinam ferre. In cane sagacitas prima est, si investigare debet feras; cursus, si consequi; audacia, si mordere & invadere. Id in quoque optimum est, cui nascitur, quod censetur. Homo Deo fruendo nascitur, ratione antecedit animantia cætera; virtute ergo & pietate præstare debet. Phidias præstantissimus artifex in Minervæ à se elaboratæ clypeo suam impressit imaginem tanto artificio, ut nemo delere posset, aut divellere, quin totam statuam imminueret. Cæli, terræque opifex suam impressit soli homini imaginem, quam nemo potest erradere & delere, quin se ipsum funditus perdat.

II. (b) Poëtæ de *meliore luto* *fiētos* appellant, quibus melior *indoles*, & perspicacius ingenium. Juven. Sat. 14.

Forſitan hæc (vitia) spernant juvenes, quibus arte benigna
De meliore luto finxit præcordia Titan:

Id est, Prometheus, Titanis nepos. Claudianus 2. in Eutrop. canit Epimetheum quoque, Promethei fratrem, homines formasse.

Sed nihil ætherij sparsit per membra vigoris;
Hi pecudum ritu non impendentia vitant,
Nec res ante vident: accepta clade queruntur,
Et serò tranſacta gemunt.

Salomon Prov. 17. *in facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terra.* id est, modestia & gravitas elucet in vultu bonæ indolis; vecordia, petulantia, levitas quaquaversum evagans indicium est prava naturæ. Mens enim per corpus & faciem perlucet, sicut fax per laternam, sol per vitrum; juxta illud Sapientis: *In speculo frontium imago extat animorum.* Sed quia ipse (Deus) fecit nos, & non ipsi nos. psal. 99. meritò gratias tantò majores debemus Conditori nostro, quantò præclarioribus naturæ bonis nos instruxit. Agnovit id rex sapientissimus sap. 8. *Puer autem eram ingeniosus, & sortitus sum animam bonam.* Indoles quippe ejus, instar boni soli, radijs cœlestibus calefacta probitatis & sapientiæ semina probè concipiebat, concepta confovebat, confota in fructus felices explicabat. Optime Seneca lib. 4. de

(a) Quinam meliore de luto fiēti.

de benef. Inſita ſunt nobis omnium ætatum, omniumque artium ſemina, magiſterque ex occulto Deus producit ingenia. Hic mihi occurrit, quod de Platone meminit Plutarchus in Mario, qui dicebat, ſe naturæ gratias agere, quod homo natus eſſet, non murum animal: quod mas, non femina: quod Græcus, non barbarus: quod Athenienſis, non Thebanus: quod temporibus Socratis. Potuiſſet addere, ſe Aurori naturæ gratias debere, quod animam fortitus eſſet bonam, hoc eſt, ingenium docile, acutum, ad ſapientiæ hauſtus excipiendos natum & factum; non tardum, ſtupidum, ſtolidum, fatuum, ſolis plagis emendandum. Ingenioſi ſigna ex Ariſtotele ſunt: Caro mollis, cutis ſubtilis, ſtatura mediocris, oculi cœrulei, fulvi, color candidus, capilli molliores, longiores manus & digiti, mitis aſpectus, ſupercilia conjuncta, modicus riſus, frons exporrecta, tempora modicè concava, caput in figuram mallei ex lato in acutum deſinentis, concinnatum. E contrario hebetis figura eſt, carnoſa frons, collum, brachia, facies, lumbi, coſtæ, pectus: occiput cavum aut rotundum, nec extans ullo modo, oculus pallidus, articuli puſilli, nares obſtructæ, parvæ, arrectæ, riſus multus, manus breves, latæ oculorum pupillæ, caput enorme, aut nimis exile, naſi inum craſſum, mandibulæ magnæ.

III. (c) Ingenioſe Venuſinus Vires varias animalium particulas hominis compositioni admiscet; nam ut quidam recentiorum Poëtarum ſcribit, Vivarium ferarum eſt pectus hominis, frementium in Appetentiæ ſede. *Delectatio* Siren, *Dolor* Hyena, uno, eodemque ſtabulo clauduntur. Mugit *Amor* Europam portans cum tauris: rugit *Ira* cum leonibus: *Audacia* tigrides antevolat: *Philomela*, *Spes* bona dulcè canit: ſed *Deſperatio* latrat inſtar moloſſi in rabiem acti: ululant mœſti *Timores*. Et verò cum, qui à virtute deſſectit, in tot beſtias, quot pravas libidines ſequitur, transformari, jam olim SS. PP. docuerunt. Inter quos D. Chryſoſt. hom. 4. in Matth. An hominem, inquit, agnoſcam, qui ut aſinus calcitrat: ut ſalaciſſimus equus in feminam hinnit; ut urſus voracitati ſtudet: ut mulus corpus ſaginat; ut camelus injuriarum memoriã retinet; ut leo irafcitur; ut lupus rapit; ut ſcorpionem ferit; ut vulpes ſubdoluſ eſt; ut nequitie venenum tanquam aſpis & viperæ ſervat? Quod ad eruditionem hiftoricam attinet, putat Iſidorus fabulam hanc ab origine idololorum profluxiſſe, quæ primitus hominum figurâ fabricari cœpta, cum eſſent inania ſimulacra, quaſi animari ſunt viſa, poſtquam dæmones ex ijs reſponſa dederunt.

D

IV. Non

(c) Pectus hominis Vivarium ferarum.

IV. (d) Non frustra fingitur Prometheus ignem, tanquam animam, infensili simulacro indidisse. Nam ut ignis est elementorum purissimum, subtilissimum, simplicissimum, actuosissimum; sic Spiritus seu animus hominis, est ab omni concreatione & compositione terrena remotus, purus, simplex, vividus, mobilis, & instar flammæ sursum enitens ad Conditorum suum, unde profectus est. Hinc de animis Maro Æneid. 6.

igneus est ollis vigor, & cœlestis origo.

Errat, inquit Origenes c. 19. de Opificio Dei, quisquis hominem carne metitur. Nam Corpusculum hoc, quò induti fumus, hominis receptaculum est. Mens ipsa neque tangi, neque comprehendi potest, quia latet intra hoc, quod videtur. Qui (homo) si delicatus magis & tener in hac vita fuerit, quàm ratio ejus exposcit: si virtute contempta, desiderijs se carnis addixerit, cadet & premetur in terram. Sin' autem ut debet, statum suum, quem rectum sortitus est, promptè constanterque defenderit; si terræ, quam calcare ac vincere debet, non servierit, vitam merebitur sempiternam.

In hunc sensum Horatius Sat. 2.

quin corpus onustum

Hesternis vitijs, animum quoque prægravat unâ,

Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Juxta veterem trochaicum:

O quàm homo contempta res est, se nisi supra homines erigat!

Egregiè Lactantius lib. 7. cap. 8. Solus ex omnibus cœleste ac divinum animal homo, cujus corpus ex humo excitatum, vultus sublimis, status erectus originem suam quærit, & quasi contempta humilitate terræ, ad altum nititur, quia sentit, summum bonum in summo sibi esse quærendum, memorque conditionis suæ, quâ Deus illum fecit eximium, ad artificem suum spectat. Vidit hoc ipsum Tullius 2. de Nat. Deor. Quæ (Providentia) primùm eos humo excitatos & erectos constituit, ut deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent.

V. Sed quid hoc sibi vult, quòd Jupiter virum de humano genere optimè meritum, vinculis constrinxerit, rupi alligavit, voraci volucri prædam objecerit? Nihil hîc attingam de physica hujus rei ratione (nam aliud institutum prosequimur) quòd Prometheus primus Astrologiam Assyrijs indicavit: siderum ortus & occasus in monte altissimo Caucasu diligenter observavit: quòd ad hanc rem ingenio duce, hoc est,

Mercurio

(d) *Humanis nobilitas.*

Mercurio sit usus: quoddam celestem ignem credatur suffuratus, dum primus rationem fulminum hominibus explicavit: quoddam aquilam perpetuo arrodentem paverit, dum multiplices curas, sollicitudines, vigilias, & incubrationes suscepit in indagando *Verò*, quibus laboribus viri docti impallescent & emaciantur. Nam Ecclesiaste teste c. 1. *qui addit scientiam, addit & laborem.* Hæc, inquam, Physiologis relinquimus. *Ethicè* significant, nimiam sciendi curiositatem abesse debere à sapientiæ studio. (e) Si Prometheus ingenium intendere voluisset, potuisset ignem in filice reperire, ut non fuerit necesse cælum invitis superis conscendere, & ad solis usque rotam penetrare. Monet Siracides: *Altiora te ne quaesieris, & fortiora te ne scrutatus fueris.* cap. 3. Et Salomon Prov. 25. *Qui scrutator est majestatis, opprimetur à gloria.* Extat hac de re elegans emblemata apud Alciatum, inscriptum: *Qua supra nos, nihil ad nos.* Imago est aquilæ jecur Promethei exedentis; versus hi additi sunt.

Caucasæa aeternum pendens de rupe Prometheus,

Diripitur sacri præpetis ore jecur.

Et nollet fecisse hominem, figulúmque perosus,

Accensam raptò damnat ab igne facem.

Roduntur varijs prudentum pectora Curis

Qui Cœli affectant scire, Deumque vices.

Torquetur hoc, inquit Claudius Minos emblematis explicator, maxime in Philosophos, & Astrologos, qui vulgò *Judicarij* nominantur, qui, quæ Deus voluit homini esse tecta, perquirunt anxie, & misere se conficiunt. Sed quid explanationis habet Hercules aquilam interficiens? Solam scilicet speculationem parùm prodesse, nisi accedat actio, quæ per manum jaculantis Alcidis denotatur. Pierius lib. 36. c. 21. ex Luciano refert, Prometheum ea lege perpetuis vinculis à Jove solutum, ut memor commissorum annulum è lapide rupis (cui alligatus fuerat) & ferro compactum gestaret. quod est Symbolum ulticis conscientie, quæ instar circuli digito inditi stringit & arctat, ac quasi monet & vellicat.



D 2

SYM.

(e) *Sciendi curiositas.*